

VVIDEKINDVS DVX I. SAXONIAE CHRISTIANVS.



Videkīndus vir fuit eximia fortitudine & prudentia præditus. Itaq; Saxones in Engeren eum sibi ducem elegerūt, anno 770. Eo autem tempore Carolus Francorū rex, qui postea ob rerum à se gestarū magnitudinem Magnus cognominatus fuit, cum Saxonibus bella gerebat, atq; eos à uanis superstitionibus & Idolorum cultu, ad uerā pietatem & Christianā religionē perducere conabatur. Itaque huic sese Vuidekindus fortiter opposuit, atque per triginta continuos annos uario Marte cum eo bella gessit.

Sæpius pax constituta, atque sæpius bellum restauratum fuit. Aliquoties etiam Vuidekindus suis copijs progressus, Coloniam usque omnia ferro & igne deuastauit.